



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE VERBO DEI|| scripto & non scripto,|| QVATVOR LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, 1599

VD16 B 1607

III. Proponitur quæstio de iudice controuersiarum; & simul disseritur de sensibus Scripturarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53828](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53828)

testatur in libro de viris illustribus in Ioanne: & similiter ceperunt posteriores antiquiorum scripta euoluere; quod de Basilio & Gregorio scribit Ruffinus lib. II. hist. cap. 9. & Hieronymus de seipso præfatione commentar. ad Ephesios. Eadem de aliis omnibus ostendi posset, si opus esset.

CAPVT III.

Gravissima Proponitur quæstio de iudice controuersiarum; & simul differitur de sensibus *quæstio.* *Scripturarum.*

Quæstio de sensibus scripturarum ab aliis scripturis non relinq. tur.

QUAM SCRIPTURAM obscuram esse, & interpretari indigere iam confiteri, sequitur alia quæstio. Num Scripturæ interpretatio ab vno aliquoabili, & communi iudice petenda sit, an vniuersi iusque arbitrio relinquenda? Quæ sanè gravissima quæstio est, & ex ea, quasi dependent omnes controuersiæ. Scripturæ multi de hac quæstione, sed præcipuè Ioannes Driedo lib. cap. 3. de Ecclesiast. dogmatib. Ioannes Cochlaus in libro de Scripturæ & Ecclesiæ auctoritate, Cardinalis Warmiensis lib. 2. & 3. contra Prolegomena Brentij, & Petrus de Soto in defensione suæ Confessionis, contra eadem Prolegomena Brentij, parte 2. & 3. necnon Martinus Peresius in libro de traditionibus assertionem 2. 3. 4. & 5. Michaël Medina lib. 7. de reuera in Deum fide, & Melchior Canus lib. 2. de locis Theolog. cap. 6. 7. & 8.

Vt igitur in primis intelligatur, quid sit quod quaeritur, sunt aliqua prænotanda. Ac primùm de sensibus Scripturæ. Est enim Scripturæ diuinæ proprium, quia Deum habet auctorem, ut sæpenumero contineat duos sensus, literalem & historicum; & spiritualem siue mysticum: LITERALIS est quem verba immediatè præ se ferunt; SPIRITUALIS est qui aliò refertur, quàm ad id quod verba immediatè significant; quæ partitio ex Apostolo colligitur I. Corinth. 10. ubi dicit, omnia accidisse Iudæis in figura ad correctionem nostram. Et quæ ad literam dicuntur de egressu Iudæorum ex Ægypto, de transitu maris, de manna, quod pluit in deserto,

*Scriptura diuina
est litteralis &
spiritualis*

de aqua, quæ fluxit è petra, spiritualiter accommodat Christianis. Quos etiam duos sensus significatos esse per librum scriptum intus, & foris, de quo agitur Apocalyp. 5. & Ezech. 2. docet Hieronymus in caput secundum Ezechielis.

*Quomodo sensu com-
muni corpus spiritua-
le animatur.*

PHILO in libro de vita Theorica supplicum, & NAZIANZENSIS ad Nemesium, literalem comparant corpori, spiritua- lem animæ: & sicut Verbum Dei genitum habet naturam diuinam inuisibilem, & humanam visibilem: ita verbum Dei scriptum habet sensum externum & internum. Esse autem hoc proprium folius diuinæ Scripturæ, docet B. Gregorius lib. 21. moralium, cap. 1.

*Interius duplex
simplex et signi-
ficat.*

Porro literalis est duplex; alius SIMPLEX, qui consistit in proprietate verborum; alius FIGURATIVUS, quo verba transferuntur à naturali significatione ad alienam. Et huius tot sunt genera, quot sunt genera figurarum. Cùm Dominus Ioan. 10. dicit: Alia oues habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, &c. sensus literalis est, sed figuratus, alios homines, præter Iudæos, congregandos in Ecclesiam. quod propriè dictum est Ioan. 11. vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Vide de his figuratis locutionibus Augustinū lib. 3. de doctrina Christiana.

*Spiritualis ad hunc
modum duplex g. p. b. i.
g. allegorice tropo-
logice anagoge
g. g.*

Spiritualis autem sensus à recentioribus Theologis distinguitur triplex, allegoricus, tropologicus, anagogicus. ALLEGORICVM vocant, cùm verba Scripturæ, præter literalem sensum, significant aliquid in nouo Testamento, quod ad Christum, vel Ecclesiam pertineat; quomodo Abraham, qui reuera ad literam habuit duas vxores, vnam liberam, & vnam ancillam, & duos filios, Isaac, & Ismaël, Deum auctorem duorum Testamentorum, & Patrem duorum populorum significauit, vt Apostolus explicat, Galat. 4. TROPOLOGICVM appellant, cùm verba aut facta referuntur ad aliquid significandum, quod pertineat ad mores. Quomodo; Non alligabis os boui trituranti, Deut. 25. quod intelligitur ad literam de veris bobus, significat spiritualiter non debere prohiberi concionatores, quin victum accipiant à populo, vt Apostolus explicat I. Corinth. 9. ANAGOGICVM vocant, cùm verba aut facta referuntur ad significandam vitam æternam. Quomodo illud Psal. 94. Quibus iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam, quod ad literam intelligitur



de terra promissionis, spiritualiter etiam refertur ad vitam æternam, vt Apostolus explicat Hebr. 4.

Hæc distinctio spiritualium sensuum à veteribus non semper obseruatur. Etsi enim agnoscunt, quantum ad rem attinet, hos omnes sensus, tamen interdum omnes vocant allegorias, vt BASILIVS initio hom. 9. exam. & Augustinus lib. de vtilit. cred. cap. 3. Porro HIERONYMVS in epist. ad Hebræam, quæst. 12. nomine tropologici comprehendit etiam allegoricum: & è contrario in cap. 4. Amos, nomine allegorici comprehendit tropologicum.

Ex his sensibus, literalis inuenitur in omni sententia, tam veteris, quàm noui Testamenti. Nec est improbabile, interdum plures literales in eadem sententia reperiri, vt B. AVGVSTINVS docet multis in locis, & præsertim lib. 12. Confess. cap. 26. lib. 11. ciuit. Dei, cap. 19. & lib. 3. de doctrina Christi. cap. 27. At spiritualis inuenitur quidem omnis in vtroque Testamento. Nam de Testamento veteri nemo dubitat, quin habeat sensum allegoricum, tropologicum, & anagogicum: & Testamento nouo idem sentiunt permulti, & meritò. Nam Allegoricè exponit Augustinus Tract. 122. in Ioan. illam scripturam piscium, quando scindebatur rete, Luc. 5. Anagogicè autem illam, quando rete non scindebatur, Ioan. 21. Et similiter Tract. 124. in Ioan. allegoricè exponit, quod dictum est Petro: *Sequere me:* & anagogicè, quod dictum est de Ioanne: *Sic eum solo manere*, Ioan. 21. Tropologicè autem exponit ipse Dominus Ioan. 13. illam suam humilitatem, qua discipulorum pedes lauit.

Sed quamquam hæc ita se habeant: tamen non inuenitur spiritualis sensus in omni sententia Scripturæ, nec in Testamento veteri, nec in nouo. Illud enim: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, Deuter. 6. & Matth. 22. & similia præcepta, non habent nisi vnum sensum, id est, literalem, vt rectè docet Cassianus collat. 8. cap. 3. His ita constitutis, conuenit inter nos & aduersarios, ex solo literalis sensu petere debere argumenta efficacia: nam eum sensum, qui ex verbis immediatè colligitur, certum est, sensum esse Spiritus sancti. At sensus mystici & spirituales varij sunt, & licet ædificentur, cum non sunt contra fidem, aut bonos mores, tamen non semper constat, an sint à Spiritu sancto intenti. Quocirca B. AVG.

*ex solo literalis sensu
petere debent argumenta
efficacia*

B. AVGVSTINVS in epist. 48. ad Vincentium, meritò ridet Donatistas, qui ex illis verbis mysticè explicatis: Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie. colligebant Ecclesiam Christi in sola Africa remansisse. HIERONYMVS quoque in commentario cap. 13. Matthæi docet, fidei dogmata ex mysticis sensibus non posse efficaciter confirmari.

De ipso autem sensu literali duabus de causis interdum dubia oriuntur. Prior est, verborum ambiguitas, qualis cernitur in illo Matth. 26. Bibite ex hoc omnes. Illud, omnes, est ambiguum: nescitur enim, an omnes homines absolute significet, an omnes fideles tantum, an omnes Apostolos. Posterior & grauior, est verborum proprietates. Cùm enim literalis sensus modò sit (vt diximus) simplex, modò figuratus, dubium est in multis locis, an sensus verus sit simplex, an figuratus. Illud enim Matth. 26. Hoc est corpus meum: Catholici volunt accipi simpliciter secundum verborum proprietatem, Zuingliani autem per figuram Metonymiam. Et ex hac causa in grauissimos errores aliquando nonnulli inciderunt. Exemplo sit Origenes, qui propterea errauit, quod quæ accipienda erant simpliciter, accepit figuratè, vt Hieronymus docet in epistola ad Pammachium de erroribus Ioannis Hierosolymitani, vbi dicit, Origenem sic Paradisum terrestrem allegorizare, vt historiam auferat veritatem, dum pro arboribus, Angelos, pro fluminibus, virtutes cœlestes intelligit; & tunicas pelliceas Adæ & Euxæ, corpora humana interpretatur, quasi ante peccatum sine corpore vixerint.

Alij è contrario lapsi sunt, quod simpliciter & propriè acceperint, quæ erant accipienda figuratè, vt Papias, & qui eum sequuti sunt, Iustinus, Irenæus, Tertullianus, Lactantius, alijque nonnulli, qui quæ dicuntur Apocalyp. 20. de noua Hierusalem, & mille annis, quibus regnaturi sunt Sancti cum Christo, hîc in terris implenda existimauerunt. quorum errorem reprehendit Hieronymus præfatione libri 18. in Isaiam, & in cap. 36. Ezechielis, & Augustinus libro 20. ciuit. Dei, cap. 7.

Conuenit etiam inter nos & aduersarios, Scripturas intelligi debere eo spiritu, quo factæ sunt, id est, Spiritu sancto. Quod Apostolus Petrus epist. 2. cap. 1. docet, cùm ait: Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scriptura propria

interpretatione non fit. Non enim humana voluntate allata est aliquādo prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sancti Dei homines. Vbi B. Petrus probat, non debere exponi Scripturas ex proprio ingenio, sed secundum dictamen Spiritus sancti, quia non sunt scriptæ humano ingenio, sed et inspiratione Spiritus sancti.

TOTA IGITUR quæstio in eo posita est, vbi sit iste Spiritus. Nos enim existimamus, hunc Spiritum, etsi multis privatis hominibus sæpe conceditur, tamen certò inveniatur in Ecclesia, id est, in Concilio Episcoporum confirmato à summo Ecclesiæ totius pastore, siue in summo pastore cum Concilio aliorum pastorum. Non enim disputare volumus hoc loco de summo Pontifice & Conciliis, an solus Pontifex possit rem definire, & an solum Concilium, de hoc enim loco agemus. Sed hîc in genere dicimus, iudicem veri sensus Scripturæ & omnium controuersiarum, esse Ecclesiam, id est, Pontificem cum Concilio, in quo omnes Catholici conveniunt; & habetur expressè in Concilio Tridentino, sess.

At hæretici omnes huius temporis docent, Spiritum sanctum, Scripturæ interpretem, non esse alligatum Episcopis vel ulli hominum generi, & ideo vnumquemque iudicem esse debere, siue spiritum suum sequendo, si ipse donum interpretationis habeat, siue alicui alteri adhæredo, quem eodem dono præditum viderit. LUTHERVS præfatione assertionum suorum articulorum apertè nos remittit ad spiritum, quem quisque habuit, dum Scripturas diligenter legit. Et in articulo ex illis 500. quos Cochleus collegit ex libris Lutheri, sic ait: *Capite hoc Evangelium, quia neq; Papa, neq; Conciliis, neq; ulli hominum commissum est, ut constituat, & cõcludat, quid sit fides. Ideo debeo dicere; Papa, tu conclusisti cum Concilio, nunc habeo ego iudicium, an acceptare queam nec ne. Quæres? quia non stabis pro me, & respondebis pro me, quando debeo mori. Et falsam doctrinam nemo iudicare potest, nisi spiritualis homo. Ideo res est insana, quod Concilia concludere & statuere volunt, quid credendum sit: cum sæpe nullus vir sit, qui divinum spiritum vel modicum olfecerit. Idem confirmat in assertionibus articuli 27. 28. & 29.*

PHILIPPVS in locis, capite de Ecclesia, videtur quidem aliquid Ecclesiæ tribuere: sed reuera totum iudicium vnicuique

que priuato homini relinquit: *Quis, inquit, erit iudex, quando de Scriptura sententia dissensio oritur, cum tunc opus sit Voce dirimentis controuersiam? Respondeo, ipsum Verbum Dei est iudex, & accedit confessio vera Ecclesia.* Hæc ibi. Tamen infra, cum docet per veram Ecclesiam non intelligi Prælatos Ecclesiar, nec maiorem partem fidelium, sed paucos illos, qui cum verbo Dei consentiunt, omnia tenebris inuoluit, & vnumquemque iudicem facit. Nec enim iudicare possum, quæ sit vera Ecclesia, nisi prius iudicem, quæ sit sententia congruens cum verbo Dei: *Est, inquit, dissimilitudo aliqua iudiciorum Ecclesiar, & iudiciorum politicorum. Nam in politicis aut Monarcha solus auctoritate sua pronunciat, aut in senatu valet sententia maioris partis: sed in Ecclesia valet sententia congruens cum verbo Dei, & confessio piorum, siue sint plures, siue pauciores impiis.* Vide plura in loco de notis Ecclesiar.

Similiter BRENTIUS docet in confessione Wirtembergica, capite de sacra Scriptura: & copiosius in Prolegomenis contra Petrum à Soto, vbi duo dicit. Primò: *Non licet, inquit, in causa aterna salutis alienæ sententiæ ita inharere, & eam sine nostro ipsorum iudicio amplectamur.* Secundò addit: *Ad vnumquemque hominem priuatum pertinet, de doctrina religionis iudicare, & veram à falsa internoscere. Sed hoc interest inter priuatum & principem, quod ut priuatus priuatum, ita princeps publicam habet de doctrina religionis potestatem iudicandi & decidendi, &c.* Et toto ferè libro hæc duo probare nititur, quod princeps secularis teneatur cogere subditos, etiam mortis supplicio ad eam fidem, quam ipse iudicat esse veram: & simul quòd subditi obligentur sequi proprium iudicium, non alienum, cuiuscunque sit: nec aduertit Brentius; quàm sint hæc absurda, & pugnantia, vt teneatur princeps iubere, & subditi teneantur non obedire. Nec illud aduertit, si hæc sententia vera sit, rectè facturum Cæsarem, & alios Catholicos Germaniæ Principes, si etiam mortis supplicio cogant omnes Lutheranos ad fidem Catholicam.

IOANNES CALVINVS lib. 4. institut. cap. 9. §. 8. 12. & 13. Conciliorum, etiam maximè generalium, definitiones ad

amissim Scripturarum examinari iubet; proinde priuato
homines iudices facit in causa fidei, non solum Patrum, sed
etiam Conciliorum, nec vllum omnino relinquit Ecclesie
commune iudicium. Denique MARTINVS KEMNITIVS
in examine 4. sess. Concilij Tridentini, ceterique omnes hu-
ius temporis hæretici, auctoritatem interpretandæ Scrip-
turæ, ab Episcoporum Conciliis, ad priuatorum hominum spi-
ritum deducunt.

*In 1. & 2. Scribit. facit libros
Syluianus. Vide Aug. de ciuit. 1. 3. c. 17.*

CAPVT IV.

*Adferuntur testimonia ex Testamento Ve-
teri pro sententia Catholicorum.*

ROBATUR nunc sententia Catholicorum; pro-
mò, testimoniis Testamenti veteris. PRIMVM tes-
timonium habetur Exod. 18. ibi enim legitur
quod cum cœpisset populus Dei redigi ad quor-
dam formam Ecclesiasticæ Reipublicæ, sedebat Moses tan-
quam princeps & caput illius Ecclesie, & ad omnia dubia cir-
ca legem Domini exorta respondebat, nec homines remitte-
bat ad spiritum aliquem reuelantem. Ibidem; Cum confite-
tuisset iuxta consilium soceri sui minores magistratus, qui
populum iudicarent, semper tamē sibi referuabat dubia cir-
ca religionem: nimirum vt intelligeremus, vnum esse debere
commune tribunal, à quo omnes petant diuinæ legis inter-
pretationem, & cui omnes simpliciter acquiescant.

Hoc argumentum à quibusdam eludi solet, quod dicunt
Mosen fuisse Principem politicum, non Pontificem, aut
Sacerdotem, cum Aaron esset Pontifex summus. Et pro-
pterea ex hoc loco non posse concludi, iudicium de rebus
fidei pertinere ad Pontifices, sed potius aliquo modo perti-
nere ad Reges. RESPONDEO, Mosen fuisse Pontificem
quidem summum, & Aarone maiorem, non quidem orbis
narium, cui succederetur, is enim vnus tantum esse pote-
rat, & ille erat Aaron, sed extraordinarium à Deo speciali-
ter constitutum, Sicut in nouo Testamento Apostoli om-
nes, non quidem maiores, nec omnino pares, sed tamen ali-
quo modo æquales Petro erant in Ecclesiastica potestate, vt